

que domum duceret. Neque tamen impetrare statim a me possum, ut, Paulum ad haec diuortia respexisse, omnesque illos, qui, priori coniuge repudiata, aliam elegerant, muneribus sacris indignos habuisse, credam. In hac enim explicatione id sumitur, quod utrum recte sumatur, valde dubito, apostolos nimirum, primamque ecclesiam hunc temerariorum diuortiorum morem aequiore inter suos animo tolerasse, quam ex mente et sententia optimi nostri Sospitatoris, magno eum zelo vituperantis, par fuerit. Itane vero, modo sacra non ambiunt munia, vxores repudiare et reiicere Christianis per apostolos licuit? Nullo hoc testimonio probaueris, nullo probaueris exemplo. Fortissime potius improbae huic consuetudini se opposuerunt. Praeterea ad hanc explicationem conficiendam non parum confert, quod Paulus hac ratione non ea, qua decuerat, perspicuitate locutus fuisse dici posset. Quid enim? Nonne vnus coniugis maritus erat, vel esse saltem putabatur et ipse putabat, qui alteri alteram surrogauerat? Denique et nimis lata essent apostoli verba. Fac enim, maritum quendam priorem coniugem, commissi adulterii ream et conuictam, missam fecisse, aut, per malitiam ab ea desertum, aliam duxisse: num et is a sacrorum munerum aditione et administratione arceri debuisset? Ita vero, si affirmaueris, ad odium secundarum nuptiarum, quod §. 4. e medio tollere laborauimus, reuerteris.

§. VII. Restat, ut de vltima explicatione mentem nostram exponamus. Ea haec est explicatio, quae antea adductis omnibus palmam facile praeripiat. Habere tamen me, confiteor, quae, quominus ei assentiam, impediunt. Huic enim *sententiae I. fundamenti loco ea ponuntur, quae nulla ratione probaueris.* Ex horum numero, ut vnum afferam, hoc est, quod polygamia illis adhuc temporibus peruulgaris inter gentes vbiuis fuerit: quod aegrius tamen probaueris, quam dixeris. Romanae reipublicae, at quam late illius se extendebant fines? ciuibus ex longo tempore iam interdictum erat, vna plures vxores ducere. * Ex

B 2

Grae-

* Teste CICERONE de orat. l. Conf. GOELENIVS loco mox cit. §. VII p. 18.